

**XXXI**

AD APOLLINEM

*Strophe Alcaica*

Quid dēdicātum poscit Apollinem  
Vātes ? Quid ōrat, dē paterā novum  
Fundēns liquōrem ? Nōn opīmae  
Sardiniae segetēs ferācis ;

Nōn aestuōsae grāta Calabriae  
Armenta ; nōn aurum, aut ebur Indicum ;  
Nōn rūra, quae Līris quiētā  
Mordet aquā, taciturnus amnis.

Premant Calēnam falce, quibus dedit  
Fortūna, vītem ; dīves et aureīs  
Mercātor exsiccet culullīs  
Vīna Syrā reparāta merce,

Dīs cārus ipsīs, quippe ter et quater  
Annō revīsēns aequor Atlanticum  
Impūne. Mē pāscunt olīvae,  
Mē cichorēa levēsque malvae.

Fruī parātīs et validō mihī,  
Lātōe, dōnēs, et, precor, integrā  
Cum mente ; nec turpem senectam  
Dēgere, nec citharā carentem.